


J. q. 258, 1.





Disputationes Theologicae.
De Ecclesia.
De Concilio
De Divinitate Christi.
De Angelis.
De poenitentia & absolutione sacerdotali
De praedestinatione.
De Sacramento Baptismi
De gratuita justificatione hominis coram Deo.
De Supremo iudicio & aeterna beatitudine.
De quaestione illa an homo nondum renatus in
actionibus mere spiritualibus polleat libero arbitrio.
De Sacra Canonica Scriptura.

2
DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
MINISTRIS
ECCLESIAE

Q V A M
D. O. M. A.

PRÆSIDE
GERHARDO TITIO
SS. THEOL. D. ET EJUSDEM
PROF. ORDINARIO

IN ACADEMIA JULIA

Ad diem XII. Septembris

Publico examini submittit


WILHELM BENJAMIN *Perche*

Hasselfeldâ-Blancoburgicus

Aut. & Resp.

ANNO

Effera Iam Daniz fines Bellona reliquit.



HELMESTADII,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO

Excudit HENNINGUS MULLERUS.

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

MINISTRIS

ECCLESIAE

JOHANNIS

D. O. M. A.

PRÆSIDENTIS

GERHARDO TITIO

SS. THEOL. B. ET EJUSDEM

PROF. ORDINARIO

IN ACADESMIA JULIA

Ad diem xii. Septembris

Publico examine submittit

WILHELM. BENJAMIN. SIEFERT

Hallebelds-Blancoburgus

Aut. & Resp.

Anno

1774

1774

WELMESTADIA

IN TYPOGRAPHIA CALISTRI

Excudit HENNINGUS MULLERUS





DE
MINISTERIO ECCLE-
SIASTICO

THESIS I.



Res sunt ordines hominum, videlicet Orantes, agricultores & defensores, inquit Anselmus in Similit. c. 126. citante Eckardo in Comp. Theol. Patrum c. ix. de disposit. variorum vitæ ordinum. Per Orantes autem dubio procul intelligit eos, qui officio docendi verbum Dei & administrandi Sacramenta in Christianorum cœtu funguntur; per Agricultores eos, qui in statu Oeconomico versantur, & patres familiâs audiunt; Et denique per Defensores eos, qui clavum Reip. tenent, & cum Magistratu sunt. Et hanc Anselmi assertionem veritati consentaneam esse, nemo difsitebitur. Ego missis hisce duobus posterioribus, breviter & rudi (quod ajunt) Minervâ de primo, nempe de ordine Orantium seu in Ecclesia docentium (quorum officium usitato nomine vocatur Ministerium) acturus sum.

II.

Definire illud solent ita; Quod sit Officium sacrum publicum, à Deo per legitimam vocationem

tionem idoneis personis commendatum, ut
verbum Dei docendo, Sacramenta admini-
strando, peccata per Christum remittendo,
homines ad salutem vocent & adducant.

III.

Ordine itaque rem tractaturo, primum explican-
dam venit definitum (cujus quoque ratio habenda mihi
videtur, cum justa vocum evolutio rem ipsam maximè ju-
vet juxta illud Scaligeri Exercit. I. sect. I. Oportet prius
vocis ipsius usum cognoscere, quo sæpenumero prove-
himur in rei perceptionem) secundo de definitione ipsa
brevibus agam.

IV.

Quod igitur ad definitum seu vocem Ministerii atti-
net, dicitur illa Ministerium à ministrando, propterea
quia non est simile civili alicui dominio, quemadmo-
dum sibi Pontificii falsò imaginantur, siquidem talis do-
minatus verbi ministris disertè derogatur Luc. xxii, 25 &
26; Et I. Cor. iii, 5. *Quis est Paulus? Quis est Apollo? nisi Mini-
stri per quos credidistis*, inquit Gentium Doctor. Et iterum
cap. seq. iv. I. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dis-
pensatores mysteriorum Dei*. Accedit ad hoc, quod nullibi
in sacra scriptura dicantur Domini; Sed *speculatores*
Es. lii, 8. *Ezech. iii, 17. rigatores & plantatores* I Cor. iii, 6;
Angeli Mal. ii, 7. Nuntij, Legati Dei. II. Cor. v. 20. *Servi Christi*
Matth. xxii, 3. *Operarii* Matth. xx, I. *Oeconomi* Luc. xii, 42.
Hi tituli, & multò plures, quibus in sacris literis insig-
nantur, satis indicant, hujus ordinis officium non domina-
ri in Ecclesia, sed servire & ministrare Deo in verbo præ-
dicando, & hominibus, in ipsorum salute promovendâ
Eccle

Ecclesiasticum autem dicitur, quia in Ecclesia, seu cœtu
fidelium peragitur.

V.

Hoc vocabulum Ministerium, græcè *διακονία*, trifari-
am capi in S. Scriptura invenimus. 1. Generaliter, pro
quovis ministerio, vel labore quasi pulvereo alteri exhi-
bito, Sic Martha Luc. x, 40. *ministrasse* dicitur. (2) Specia-
liter pro officio sacro in Ecclesia, annunciandi verbum
Dei & administrandi Sacramenta; Sic Matthias dicitur
accepisse *ministerium Iudæ* Act. 1, 25. (2) specialissimè &
strictissimè pro certa ministerij parte seu cura pauperum,
ut: Act. vi, 2, 3, 4. Quarum intermedia acceptio, est hu-
jus propriè loci. Et tantum de definito, sequitur nunc
ipsa definitio, ea autem constat genere & diffe-
rentia.

VI.

Generis loco stat, officium sacrum publicum. Of-
ficiū dicitur, quia certarum rerum administratio est.
Sacrum ut distinguatur à civilibus negotiis. Luc. xxii, 25.
Et denique publicum dicitur, quia obeuntes illud autho-
ritate publica gaudent, ab Ecclesia nimirum juxta ordina-
tionem Dei constituti, ut homines ad Christum addu-
cant. Ephes. iv, 11 & 12.

VII.

Differentia desumitur à Causa Efficiente, Materiali,
Formali & Finali.

VIII.

Causa Efficiens, seu quod idem est, Author sacri
Ministerij est tota S. Sancta Trinitas. Est enim institu-
tio ministerij opus ad extra, ideoque omnibus tribus
personis S. S. Trinitatis commune; quamobrem eti-
am modò primæ, modò secundæ, modò tertiæ per-

tionæ (cæteris tamen non exciufis) adsignatur. Deo Patri tribuitur in illo Apostoli: *Deus vocavit me per suam gratiam, ut revelaret filium suum in me ut ipsum per Evangelium prædicarem inter gentes Gal. I. 16.* Christo adscribitur in hoc dicto: *Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cælos, ut adimpleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum eis ἐπιτροπὰς διακονίας ad opus ministerij in ædificationem corporis Christi Eph. IV, 10, 11, 12.* Spiritui Sancto denique tribuitur, quando is dicitur loqui per Apostolos Matth. x. 20. *dare & constituere Episcopos Act. xx. 28. & distribuere charismata ad hanc functionem necessaria I. Cor. XII, 4 & II.*

IX.

Ab hisce tribus personis, Triuno Deo, vocantur, mittuntur & constituuntur ministri Ecclesiæ. Hoc vult Paulus Rom. x, 15. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Quæ interrogatio æquivalet huic negationi: nullo jure prædicabunt, nisi mittantur. Idem vult autor Epistolæ ad Hebræos Cap. v, 4. *Nemo sibi sumit honorem sacerdotii, sed qui vocatur à Deo sicut Aaron, ita & Christus non sumpsit sibi hunc honorem &c.* Si hic objicere velint aliqui, hodiè non opus esse amplius peculiari vocatione & missione ad publice docendum in Ecclesiâ, sicut initio Ecclesiæ Apostolos à Deo mitti & vocari opus fuerit, quia hodie nihil novi doceatur, sed omnia ex Apostolorum relictis monumentis depromantur. Cum Apostoli primùm à Deo instrui, & sic peculiariter mitti & vocari opus habuerint. Ei respondemus, quod Sacerdotes in V. T. etiam nihil novi docere & peragere debuerint, sed saltem antecessorum suorum vestigia sequi, & tamen semper peculiari vocatione ad officium inchoandum ipsis fuerit opus, juxtà regulam
audi-

auditam; *Nemo sibi ipsi sumit hunc honorem.* Nempe etsi hodie, sine vocatione & missione aliquis norit quid sit docendum, tamen Deus, *qui non est Deus confusionis* sed ordinis, vult ut in Ecclesia, ceu domo suâ, omnia *καταξυν* fiant, & nemo irrumpat in officium docendi publicum non invitatus, hoc enim plurima incommoda allaturum erat. Atque hinc Paulus jubet peculiariter Titum, *oppidatim constituere presbyteros*, etsi nosset, doctrinam Evangelicam jam plenè esse à se & coapostolis propositam, ut sequentes doctores, nihil novi opus haberent excogitare, sed ex Apostolorum prædicatione omnia sua sufficienter haurire possent. Quid? quod ministri Ecclesiæ sunt quasi Magistratus in Ecclesiâ, unde & *ἡγούμενοι* dicuntur Ebr. ult. v. 17. At nemo in societate aliqua civili sibi spontè talem prærogativam (sine confusione) potest sumere, & expectare oportet, ut sibi ab aliis deferatur. Eadem ergo ratio quoque hic meritò fuerit, nec ullâ alia ratione aliquis potestatem & honorem ministerii Ecclesiastici usurpare vel debet vel potest, nisi legitimè sit missus & vocatus.

X.

Quæ cum ita sint, valde impingunt Anabaptistæ cum Photinianis, quando absque omni vocatione cuivis Ecclesiæ (etiamsi non vocato) membro, v. g. factori vel sutori, vel alii, potestatem publice docendi in Ecclesiâ faciunt. Nec patrocinator illis quod dicunt: tamen in Sacra scriptura omnes Christianos appellari Sacerdotes Spirituales. Responderetur enim, ideò non statim omnes constitui publicos Ecclesiæ Doctores & Episcopos, ut nimirum omnes credentes promiscuè, habeant potestatem publicè docendi in Ecclesiâ, & administrandi Sacramenta. Verum Sacerdotes dicuntur Christiani omnes, quod mem-

membra sua debeant Deo offerre *Spiritualem hostiam*, ut Paulus monet Rom. xii, i. hoc est, quod sanctitate vitæ Deum debeant laudare, atque sic ipsi Sacrificium laudis & gratiarum actionis offerre. Neque illos iuvat dictum ex Jerem. c. xxxi, 33, & 34. *Dabo legem meam in corda eorum. — Non docebit ultra vir proximum suum.* Hoc enim Prophetæ vaticinando prædicit, fore ut cognitio Dei multo perfectior sit in N. quam in V. T. & ita pervulgata, ut vix unus altero manu ductore opus sit habiturus.

XI.

Porro vocatio de quâ jam nobis est sermo, nempe Legitima, est duplex. Altera Immediata, alias specialis & extraordinaria dicta. Mediata altera, alias communis & ordinaria.

XII.

Immediata vocatio est, quâ Deus solus vel huic ut doceret, veluti Mose, Jeremiæ, Paulo, vel aliis præcepit, ut hunc doctorem designarent, quomodo Aaron & Elifæus à Mose & Elia vocati sunt. Vbi statim non immerito quæras; Num vocatio ejusmodi immediata hoc nostro tempore adhuc sit expectanda? Et dicimus, non esse. Quia (1) destituimur Dei promissione, seu quod idem est, quia nullum in sacris literis habemus vel mandatum Dei, vel promissionem. Eph. iv, 11 & 12. Quia (2) Nulla necessitas vocationis hujus immediatæ apparet, sed Dominus præscripsit certam formam, quam tradidit Ecclesiæ i Tim. iii, alligavitque Ecclesiam suam ad doctrinam per filium revelatam, Gal. i, 8. Et denique quia (3.) Deus immediatam vocationem nobis non parum suspectam fecit, quando prædixit; *Surrecturos esse Pseudopphetas & Pseudochristos, & edituros signa magna & prodigia, ut in errorem inducantur si fieri possit, etiam electi.* Matth. xxiv, 24.

XIII. Me.

XIII.

Mediatam vocationem quod spectat, & illa ipsa divina est. Nam immediata & mediata vocatio non differunt causâ efficiente principali, utraque enim est à Deo, Sed tantum modo, illa enim fit per ipsummet, uti præced. §. jam dictum, hæc autem à Deo per Ecclesiam, cui jus vocationis delegatum est. Ecclesia enim est *regale* illud *Sacerdotium* I Pet. II, 9. cui veluti dilectissimæ *Sponsæ* ac *matrifamilias* Ioh. III, 29. *claves regni cœlorum* commisit, cui verbum & Sacramenta concredidit, & (ut summatim dicam) *cujus omnia sunt* tum munia ipsa, tum qui gerunt & administrant eadem. I. Cor. III, 22.

XIV.

Vt autem hæc vocatio sit legitima legitimoque modo fiat (1) preces premittendæ sunt. Act. I, 24. & cap. XIII, 3. Matth. IX, 38. (2.) Nihil aliud spectandum quam Dei gloria & auditorum salus. Et (3.) quia Ecclesia tribus ut notum est distinctis constat Hierarchiis; Nullus ordo seu status Ecclesiæ à tali vocatione planè est excludendus.

XV.

Concurrunt itaque in vocatione Ministrorum (1) presbyterium, aut si mavis, ministerium, hoc est; Ministri electi & constituti in Ecclesia, & his primæ partes debentur, siquidem apud illos merito præsumitur esse certius & accuratius iudicium de talibus personis, quam apud alios, juxta illud tritum; Artifici in suâ arte est credendum.

XVI.

(2) Magistratus Politicus; Nam cum in sacra scriptura & in primis apud Prophetam Esaiam Magistratus dicuntur *Nutritii* & tutores Ecclesiæ c. XLIX, 23. Vtriusque

B

tabulæ

tabulæ eustodes, Deut. xvii, 19. Certè pius & Christi-
anus Magistratus utique est valdè insigne Ecclesiæ mem-
brum. In sacra Scriptura occurrunt multa exempla de
Regibus in V. T. qui in vocatione ministrorum Ecclesiæ
non fuerunt otiosi, sed valde solliciti, & quibus curæ fu-
it, ut idonei præficerentur Ecclesiæ ministri. Tale quid le-
gimus de Davide. 1 Paralip. xvi, 7. seqq. de Iosaphato 11
Paralip. cap. xix, 11. de aliis alibi.

XVII.

Denique (3) nec populus Christianus à vocatione
ministrorum est arcendus, quemadmodum videre est ex
Act. cap. vi. 3 & cap. xiv, 23. *Plebs enim inquit Cyprianus
lib. i. Ep. iv. Maximè potestatem habet vel eligendi dignos sa-
cerdotes, vel indignos recusandi.* Porro de suo tempore lo-
cutus, *Apud nos quoque inquit, & fere per provincias universas
tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui
præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi qui-
que convenient, & Episcopus deligatur plebe præsentè, quæ singulo-
rum vitam plenissimè novit & uniuscujusque actum de ejus conver-
satione perspexit.* Gregorius quoque Nazianzenus Oratio-
ne in laudem Magni Athanasij, hoc singulariter depræ-
dicat, quod *totius populi suffragiis, non autem secundum pra-
vum exemplum, quod postea inolevit, — Ad Marci thronum in
Ecclesiâ Alexandrinâ evectus sit, sicut vertit Iacobus Bil-
lius.*

XVIII.

Ex quibus omnibus & singulis manifestum est, jus
vocandi nec soli Ministerio; Nec soli magistratui Politi-
co; Nec soli populo, vel solis auditoribus; sed toti Eccle-
siæ; hoc est, omnibus Ecclesiæ membris competere. Pec-
cant igitur Pontificii, quando auditores, quos Laicos vo-
cant simpliciter à vocatione Ministrorum excludunt,
con-

tendentes, jus vocandi & ordinandi Ministros Ecclesiæ soli papæ ejusdemque juratis Episcopis competere, ut constat ex Bellarm. l. I. de Clericis cap. III. & IV.

XIX.

Quænam verò singulorum ordinum partes sint in vocatione ministrorum, de eo nihil certi definiri potest, cum multum valeant locorum consuetudines, quæ attendi solent; juxta communiorem autem praxin, presbyterium examinat vocandum, ordinat & inaugurat; Magistratus eundem nominat, præsentat; Et, si jus Episcopale habet, confirmat; populus consentit & approbat.

XX.

Hactenus de causa Efficiente Sacri ministerij. Sequitur nunc de causa Materiali. Hæc verò sunt ipsi ministri Ecclesiæ, quos vocavi personas idoneas, legitimè vocatas. Consideratur autem ista idoneitas vel ratione sexus, vel ratione donorum.

XXI.

Ratione sexus minister Ecclesiæ debet esse vir. Nam mulieres jubentur tacere in Ecclesia I. Cor. XIV, 33, 34. & I. Tim. II, 12. Sed in casu necessitatis, licitum est eis & docere, & baptizare; Sicuti in V. T. Zipora uxor Mosi circumcidebat filium in diversorio, cum tamen hoc aliàs viri semper legantur fecisse. Et apud Socratem lib. I. cap. XV & XVI. Fœmina quædam memoratur captiva, quæ apud Iberos magno cum successu Evangelium prædicaverit, sic, ut ipsum Regem quoque converterit.

XXII.

Ratione donorum tria cum primis requiruntur. (I) *orthodoxia* seu verus de Deo & rebus divinis fideique articulis sensus, quod probatur & Mal. cap. II, 7. & I. Tim. I, 13. Si enim non fuerit verâ & incorruptâ dogmatum ad salu-

tem necessariorum cognitione instructus, pastor non erit, sed potius lupo, qui oves spiritualiter devorat, & in æternum exitium præcipitat. (2) Ut habeat δύναμιν ἐπιμενευτικὴν, i. e. facultatem docendi I. Tim. III, 2. Nam non sufficit, ut quis sibi soli sapiat, & sit mediocriter doctus. Sed & hoc requiritur, ut ea quæ rectè novit, alios etiam quadam cum dexteritate docere possit, ita ut aliquid inde discant. Si enim ipse docere nequeat, quomodo Doctor Ecclesiæ constitui poterit? Quoniam verò dona Dei sunt varia, & Spiritus Sanctus sua dona distribuit prout vult, quemadmodum Paulus inquit I. Cor. XII, diligenter observandum, ne temere aliquis propter docendi dona rejiciatur. Si enim tanta illa adfuerint, ut per ea sufficienter auditores possint instrui ad Salutem, acquiescere debent auditores.

XXIII.

(3) Requiritur in Ministro Ecclesiæ, vitæ Integritas, vel, ut sit integer vitæ, scelerisque purus, uti inquit Poëta, ita ut habeat bonum testimonium suæ integritatis, quod Paulus innuit, quando dicit: *Episcopum decet esse irreprehensibilem.* Hoc autem non vult Paulus, quod prorsus possit esse ἀναμάρτητος i. e. sine peccato; homo enim est, & quidem corruptus homo; quapropter etiam peccati non expers; Sed sermo hic potissimum est de externâ vita, ut nimirum in externa conversatione sua non præbeat offendiculum auditoribus. Vnde legimus Act. VI, 5. quod, cum eligendi essent septem Diaconi, fuerint inventi viri spectatæ probitatis, pleni spiritu Sancto & Sapientia. Et pulcherrima ac notissima est sententia Hieronymi ad Nepot. Epist. II. *Non confundant opera tua sermonem tuum, ne, cum in Ecclesiâ loqueris, tacitus quilibet respondeat; CUR ERGO HÆC QUÆ DICIS, IPSE NON FACIS?* Cui similem

milem habet S. Augustinus lib. iv. de doctrinâ Christianâ cap. xxvii. *Abundant tales, qui malæ vitæ suæ defensionem ex ipsis suis præpositis & doctoribus quærunt, respondentes corde suo, aut etiam si ad hoc erumpunt ore suo, dicentes; Quod mihi præcipis, cur ipse non facis? Ita fit, ut eum non obedienter audiant, qui seipse non audit, & Dei verbum, quod eis prædicatur, cum ipso prædicatore contemnant.*

XXIV.

Aliàs fatendum, ad doctrinæ efficaciam nihil interesse, siue minister sit benè moratus, siue vitam vitiis contaminatam colat. Efficacia enim doctrinæ non pendet à qualitate personarum per se, sed inest verbo per operationem Spiritus sancti. Et vita ministri corrupta, nil derogat doctrinæ integritati. Matth. xxxiii, 2. Sacramenta quoq; à ministro impio collata, nihilominus sunt efficacia, si dispensantur iuxta institutionem Christi. Esca secundum se salubris, non desinit esse talis esca, etiamsi à corvo, impurâ ave, afferatur. i. Reg. cap. xvii, 6. Legatur hîc Articulus viii. Aug, Conf. & commentatores qui eum illustrarunt.

XXV.

Ordo nuic postulat, ut dicatur de causa formali; Illa consistit in tribus; quorum primum est, verbum Dei purè omnique studio docere; *prædicare sermonem, instare tempestivè, intempestivè, arguere, objurgare, exhortari cum omni lenitate & doctrinâ.* ii. Tim. iv, 2. Hanc autem potestatem Christus ipse ministris fecit, dum discipulis suis Matth. xxiix, 19. dixit; *Euntes, docete gentes:* Et paucis interjectis: *Docete eos servare omnia, quæ mandavi vobis.* Similiter Marc. xvi, 15 & 16. *Ite in mundum universum & prædicate Evangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit condemnabitur.*

XXVI.

Secundum est, Sacramenta integrè, ritè & secundum iustiturationem Christi administrare, quod Christus iterum Apostolis demandavit, quando dixit *Baptizate gentes in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.* Matth. xxix, 19. Apostolus etiam I. Cor. xi, dum carpit Corinthios, quod sibi ipsis nonnulli sacram cœnam dispensare præsumerent, voluit vindicare Sacerdotibus ab exemplo Christi & dispensandi & consecrandi officium.

XXVI.

Tertium est Disciplinam Ecclesiasticam studiosè curare, notoriis hætenus peccatoribus, sed seriò resipiscen-
tibus, peccata solenniter remittendo, & palàm impœnitentibus eadem retinendo. Et hæc vocatur potestas clavium.

XXIX.

Hanc potestatem Ministris Ecclesiæ à Christo esse concessam, patet ex Ioh. xx, 22, 23. Ubi dicit ad Apostolos; *Accipite Spiritum sanctum, si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; Si quorum retinueritis peccata, retenta sunt.* Idem quoque sigillatim prius dixerat Petro, quàm nostri causa crucis supplicium obiret. Matth. xvi, 19. *Tibi dabo Claves regni cœlorum; Et quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cœlis; & quicquid solveris in terra, erit solutum in cœlis.* Non possunt autem ministri pro libitu peccata remittere aut retinere. *Peccata enim non dimittuntur secundum arbitrium hominum, sed secundum arbitrium Dei* ait Augustinus lib. III. de Baptismo contra Donatistas cap. xviii. Si ergò Minister ex errore aut affectu, vel impœnitenti & infideli remittat peccata, vel pœnitenti & credenti retineat, hoc ipsum in cœlo & in iudicio Dei minimè fuerit ratum. Pœnitentibus igitur, nec aliis, ministri possunt remittere peccata,

cata, impœnitentibus verò, nec aliis, illa retinere. Si dicas, solius Dei esse remittere peccata, quomodo ergò homines idem possint? R. Deum remittere peccata, gratiam eorum faciendo & impertiendo; ministrum remittere peccata gratiam factam annunciando & confirmando, t. nquam *legatum* nomine Christi. I I Cor. v, 20,

XXIX.

Retentio illa peccatorum, publica cum primis, vocatur alio nomine Excommunicatio. Ea que est vel *minor* quâ notoriè impius ab usu cœnæ removetur, vel *major*, quâ publicè à communione Ecclesiæ talis, qui nullis monitionibus flecti voluit, abscinditur, irâ Dei & æternâ maledictione ei denunciâtâ. De hâc agit Paulus I. Cor. v, 3, 4, 5. *Enim verò ego ut absens corpore, præsens autem Spiritu, jam ut præsens judicavi, ut is qui hoc ita perpetravit, VOBIS & MEO Spiritu in nomine Domini Iesu Christi congregatis, tradatur ejusmodi sathanæ ad interitum carnis, ut spiritus sit salvus in die illo Domini.* Idem Apostolus Hymenæum & Alexandrum, qui repulsâ bona conscientia circa fidem naufragium fecerant, tradit sathanæ, ut discant non blasphemare. I. Tim. cap. I, 19. 20. Unde apparet, non tantum propter flagitia morum, sed etiam propter corruptam doctrinam aliquem Excommunicatione rectè feriri posse. Finis hujus Excommunicationis est, ut resipiscat impius, & *Spiritus* ita adhuc fiat salvus in die Domini. Legatur Balduinus in Casibus conscientia.

XXX.

Et tantum de Causa Formali Ministerii Ecclesiastici, subsequitur itaque loco ultimo causa Finalis. Ea autem est duplex; Ultima & Intermedia. Fiuus ultimus ex parte Dei est ipsius gloria; Ex parte nostra est salus æterna. Intermedius est hominum conversio, cum Deo reconciliatio, & æternæ salutis acquisitio. *Posuit enim Christus*

in ministris sermonem reconciliationis II Cor. v, 19. Hinc dicuntur per prædicationem suam *servare se ipsos* & qui sese *audiunt* I Tim. IV, 6.

XXXI.

Sed operæ pretium est, nonnulla quoque alia, ad ministerium Ecclesiasticum & Ecclesiæ ministros pertinentia hîc attexere. Postquam docentium societas exerevit, & numerus auctus, & in varias orbis provincias dispersus fuit, quomodo inter eos aliqua externa ut ita dicam Politia formanda, & conjunctionis ratio ineunda, & quos quibus vel subijci vel præponi congruum foret, ipsi pro suâ prudentiâ & donis quibus præditi erant, dispicere & constituere potuerunt. Hinc jam effluxit pulcherrima illa Vet. Ecclesiæ Hierarchia. In Majori Provinciæ urbe residebat Episcopus, cui in circumjacentes Ecclesias erat inspectio, & hæc erat Ecclesia diocesana. Is qui in Provinciæ Metropoli sacris præerat, Metropolitanus dictus, totius provinciæ Ecclesias curabat, ipsosque Episcopos inspectioni suæ ac fidei habebat commissos, atque hæc Ecclesia erat provincialis. Cumque in Imperio illo veteri Romano tres præ aliis eminenter urbes, Roma in Italia, Alexandria in Ægypto, Antiochia in Syriâ, hæc urbium dignitas effecit, ut earundem Episcopi cæteris præferrentur ac Patriarchæ dicerentur. Postea cum Constantinus sedem Imperatoriam Româ Constantinopolin transferret, Constantinopolitanus quoque Episcopus Patriarchis non tantum conferri, sed & cæteris (Romano excepto) præferri cœpit. Tandem his quatuor primariis Episcopis, Hierosolymitanus accessit, non ob splendorem urbis, quæ tum in ruinis jacebat, sed in honorem Servatoris nostri, in illa ipsâ urbe passi, mortui, & supra cœlos elevati, & quod Hierosolyma esset mater omnium Ecclesiarum,

rum,

rum, *De Sion enim exiit lex & verbum Iehovæ de Ierusalem.*
Mich. iv, 3. *& pœnitentiæ ac remissionis peccatorum in nomine*
Christi prædicationem oportuit incipere Hierosolymis Luc. xxiv,
47. Unde patet, quam falsò & insulsè Pius iv. Papa in ju-
ramento confessionis fidei Romanam suam synagogam
vocare audeat *matrem & Magistram omnium Ecclesiarum.*

XXXII.

Porro hi quinque Patriarchæ inter se pares, Ecclesias
quisq; suas procorditer gubernabant, donec Romanus Pa-
pa *caput suum super omnes attolleret* ut loquitur Lutherus Ar-
tic. Smalcald. Est quoque hoc loco id magnopere di-
gnum observari, quod B. Dn. D. Calixtus in Apparatu suo
Theologico pag. 105, 106. notavit. *Quamvis, cum consuetu-*
dine, tam lege canonicâ in universo quam latè patuerit (Romano)
imperio, quinque præcipui Episcopi sive Patriarchæ fuerint, non
cessit tamen necessarium, ut quisvis in Imperio Episcopus, nedum
Christianus, uni ex eis subderetur, sive jurisdictionem alicujus eo-
rum agnosceret. Talis ratio pergit B. Calixtus, Carthaginensis
& vicinarum in Africâ Ecclesiarum, Ita quoque Episcopus Cyprî
à potestate quam in eos sibi Antiochenus arrogabat in Synodo œcu-
menicâ Ephesina liberi pronunciantur, ut ex Actis videre est. Patet
autem ex his, Lutheranos ideo ab Ecclesia universali se
non statim separasse, quòd nulli Patriarcharum subsint,
& cum primis à Romano, cujus jurisdictionem majores
ipforum aliquando agnoscebant, recedere coacti
fuerint.

part. II ar-
tic. 4.

XXXIII.

In scripturâ & Antiquitate Ecclesiasticâ, frequentis-
sima est distinctio ministrorum Ecclesiæ, in Episcopos &
presbyteros. De hoc discrimine præclarè agunt majores
nostri, in libello de potestate & jurisdictione Episcoporum,
articulis Smalcaldicis subjuncto. Ostendunt ibi ex scri-

C

ptura

ptura & testimonio Hieronymi, humanâ auctoritate distinctos esse gradus Episcopi & presbyteri, seu pastoris; potestatem juxta scripturam esse eandem. Vna res, pergunt, postea fecit discrimen Episcoporum & pastorum, videlicet ordinatio (antea citaverant verba Hieronymi *Quid facit Episcopus exceptâ ordinatione, quod presbyter non facit?*) Nempe ordinatio Episcopis successu temporis; tanquam prærogativa aliqua accrevit. Sed cum jure divino non sint diversi gradus Episcopi & Pastoris, manifestum est ordinationem à Pastore in suâ Ecclesiâ factam, jure divino ratam esse. Itaque cum Episcopi ordinarij fiunt hostes Ecclesiæ, aut nolunt impertire ordinationem, Ecclesiæ retinent jus suum. Hæc ibi rectissimè majores nostri.

XXXIV.

In Scripturâ quoque & primæva Ecclesiasticâ antiquitate, Ecclesiæ Ministris conjugium permittitur. Generale certè statutum de omnimodo, ut ita dicam, clericorum cœlibatu (nam illa de Episcoporum continentia, de digamorum exclusione & matrimonio post initiationem non contrahendo, clericis conjugium ejusque usum universim non adimunt, sed quodam saltem modo limitant & restringunt) ipsi Papistæ non ad Ecclesiam primorum seculorum, sed ad Siricium Papam Romanum, qui sub finem sæculi post natum Servatorem quarti Episcopatu Romano functus est, referunt. Quod itaque deinceps Pontifices Romani conjugium prohibuerunt, & divinum ordinem Sacerdotum perpetuo cœlibatu onerarunt, malitiosè & sine omni honestâ causâ fecerunt, & in eo Antichristi, tyrannorum & pessimorum nebulonum opus exercuerunt, ac causam præbuerunt multis horrendis, abominandis, innumeris peccatis tetrarum libidinum, in quibus adhuc volutantur. Artic. Schmalcald. part. III. art. XI.

XXXV.

XXXV.

Hæc sunt, quæ pro meâ tenuitate de Sacro Ministrorum Ecclesiæ ordine dicere potui. Quem in quanto honore habere oporteat, Paulus ostendit, quando ait; qui benè præsunt presbyteros, **DUPLICI** (multiplici) honore dignos esse 1. Tim. v, 17. *Duplici honore, posuit, pro ampliori, ait Theodoretus, Commentario in h. l. Dignum profectò præceptum Apostolicum, quod omnibus Parochiis, Scholis & Academiarum Collegiis, aureis literis inscriberetur. Quod si omnes, qui debebant, pensî haberent, non haberemus tot Parochos & Scholarum Magistros, in senio egentes, & in morte præter liberos & libros vix aliquid relinquentes, imò nec juniores quidem in hisce officiis constituti, parvis salariis, eisque ægrè præstitis, eò adigerentur, ut desertâ statione, de alio vitæ genere, aut alio loco solliciti esse necesse haberent. Sed surdis scio narratur fabula; querimonia est doctissimi senis, Erasmi Smidii, Annotationibus ad N. T. h. l. Et profectò experientia docet, eos qui verbi ministros viliter contemnunt, & ubicunque possunt illis ægrè faciunt, Dei plerumque ipsius & totius Christianæ religionis non obscuros contemptores & empæctas esse. A quilibus illudi aut lædi, verè Christiano honorificum etiam est. Pii autem Pastores cogitabunt intereà Apostoli illud; *Iustum est apud Deum, vicissim reddere iis qui affligunt vos, afflictionem, vobis verò qui affligimini, relaxationem cum patefiet Dominus Iesus de Cælo, cum Angelis potentiae suæ, cum flammeo incendio instigans ultionem iis qui non noverunt Deum, NEQUE AUSCULTANT EVANGELIO Domini Nostri Iesu Christi* II. Thess. I.*

6, 7, 8.

F I N I S.

C 2

CO.

COROLLARIA.

I.

Ordinatio Ministrorum non est Sacramentum N. T. propriè dictum.

II.

Ministri possunt ritus & ceremonias instituerè, ut, festa, jejunia. Et peccat, qui talia temerè violat. Novos tamen cultus instituerè non possunt.

III.

Lutherus hoc ipso, quod publicus in Ecclesiâ & Academiâ Doctor fuit, rectè potuit abusus Ecclesiasticos taxare & reformare.

IV.

Ministri jure divino non sunt exempti à potestate secularis Magistratus.

V.

Monachi Pontificii nullo modo vivunt in statu perfectionis præ aliis Christianis.

SIRIUS



SIRIUS à studiis flagrans avertere mentes
Aſſolet, alta quies Muſis; aſt nulla Vacunæ
Ut detur: In campis quiſq; ut petat otia grata,
Sat molli tendit per prata virentia paſſu:
Aſt artes TE per varias tunc duxit AMICE
Pallas, in arcanis θεοπνευγος ingenioſa.
È patrio pectus quod traxiſti pectore, mōſtras,
Ritè Miniſterii Sacri dum lemmata promiſ.
Per patulos celer ut cāpos amat ire caballus,
Sic jam profectûs, CLARO ſub PRÆSIDE, doctis
Hinc theſibꝰ ſpecimē doctè proferre laboras.
Propoſitū meritò laudant, & fauſta precantur
Omnes: Et laudes celebrat mea MUſA cā-
mœnis.

Maecte tuis animi virtutibus, optime LERCHÈ,
Aōnij ſpes grata chori! Nunc pulpita Scandēs
Doctorum; primum culti ceu veriſhonorē
Ingenii nunc docta Tui conamine, profer.
Ipede felici cordatus! Gratulor auſum!
Atq; decus Patriæ, fiet columenq; PARENTUM,
Solamenq; Chorus Phœbi poſt tēpora cinget!

*Fauſta gratulationis ergò, amicâ manu, Preſtantſ. Dn. Autori &
Respondenti, Amico ſuo plus quàm fraterno ſcripſit,*

IOHANN-IACOBUS LIMBERTUS.

Oſterodanus.

Ος κατὰ ἀνθρώπους ὀνομαστὸς βέλεται εἶναι,
 Παιδευτῶτε ποθεῖ τ' ὄνομα ἀνδρός ἔχειν :
 ἔ μῦνον κείνον βίβλος ὑπὸ χερσὶν ἐλίπειν
 δεῖ, καὶ ἐξ αὐτῶν φέρτατα πάντα μαθεῖν.
 Ἀλλὰ καὶ ἐκφορέειν αὐτὸν καὶ δείγματα ταῦτα,
 Ἐξ ὧν ἰδμοσύνην ἐστὶν ἐκείνους ἰδεῖν.
 Τὸτο φραζόμενοι κατὰ θυμὸν λέρχε κέρπειτε
 (ἔ τέλεθει μηδεὶς φίλτερος ἄλλου ἐμοί.)
 γραπτὰ θεορρήτων ἔ μῦνον θέσφατα βίβλων
 αἰὲν ἀνείλιξας, πολλὰ καὶ ἐσθλὰ μαθήες.
 Ἀλλὰ σε καὶ πείρασι δῖνασι νῦν ἴμερος ἀίρει
 γνώσεσθαι, ὅτι ἔργον μυθοπόλοιο λέγεις.
 Συγχαίρω τὰτα σοι, εἴπερ πλείονα ταῦτα
 δείγματα ἐξοίσεις φραδμοσύνης σέοθεν
 ἔργονίοιο λόφους εἰδῶς μὴ μῦνον ἀκέρσεως
 Ἀλλὰ καὶ ἔ σμικρὸν χάριμα τοκεῦσιν ἔσθι.

*Hæc paucula præstantiss. Dn. Respondenti Populari
 Et amico suo Charissimo scripsit*

CHRISTIANUS WILHELM CALENIUS
 Stigâ Blancoburgicus.

Oda Saphica ad Imit. Od. II. lib. II.

Carm. Horat.

Nullus ignavus potitur brabéo
 Laudis, ô Frater, neque fama quenquam
 Addidit cœlo, nisi Apollinari
 Splendeat arte:

Vivit

Vivit extento studiosus ævo,
Quisquis haud expers utriusque linguæ est:
Illum agit penna metuente solvi

Fama superstes.

Pulchrior, tu crede mihi, enitesces
Disputans, quam si Lybiam remotis
Gadibus jungas, Arabumque spectes

Dives acervos.

Indies crescat tua fama, crescat:

Invidis desit tibi detrahendi

Causa; quò porrò decores Parentos

Frater amande.

Volve Doctorum monumenta, sic te

Dissidens plebi numero Beatorum

Inferat Virtus, doceatque veris

vocibus uti;

Perge; sic laudis diadema pulchrum

Te coronabit, propriamque laurum

Deferet quisquis bibet aure cantus

Suavis Alaudæ.

Germanicum.

Seil leiden vnd meiden zu Ehren verseyhet/
Vnd Tugend die Tugend der Ehren werhet
schähet/

weil/

Weil/sag ich/der Müßiggang hefftig betreüget/
Die Stimme den Vogel den Menschen anzeigt/
So muntre dich/Bruder/ bishero verborgen/
Schweig länger nicht stille/ laß andere sorgen/
Erforsche die wahrheit/ das schönste der Welt
Die ihre nachfolger ans Himmels Dach stellt/
Das falsche der falschen hinschlage zu boden
Durch scharffes ergrüblen/ vnd stetiges roden/
Ja fechte fürs Rechte mit Händen vnd Mund
Ergrösser vnd weitere sie/mache sie kund.
Fahr also fort/ jeko die Musen vnd Nymfen
Dir winden ein Kränklein/ kein Neider soll rümpfen
Die spitzige Nase. Durch mühe/durch spott
Hier kommen zu Ehren. Vertraue nur Gott.

Iohannes Henricus Perche.
Frater Germ. Respond.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be in a historical or religious context, possibly containing a list or index.



99 A 7000

ULB Halle
002 840 502


3



28 47

Retro ✓





B.I.G.

Farbkarte #13

2

THEOLOGICA
 E
 STRIS
 ESIÆ
 A M
 M. A.
 SIDE
 DO TITIO
 ET EJUSDEM
 DINARIO
 MIA JULIA
 . Septembris
 nini submittit
 NJAMIN Perche
 blancoburgicus
 Resp.
 es BeLLona reLIqVIt.
)?
 STADII,
 IEO CALIXTINO
 US MULLERUS.

